

18 18
I. N. 7.
DISSERTATIO SOLENNIS
DE

PULMONUM VOMICA,

quam

*In celeberrima Leucorea & Consen-
su Gratiſſe Facultatis Medicæ*

SUB PRÆSIDIO

VIRI

*Nobilisſimi, Ampliſſimi, Excellentisſimi atque Ex-
perientiſſimi*

DN. CHRISTIANI VATERI,

Philos. & Med. Doctoris, Pathol. Prof. Publ. Phyſici Pro-
vincialis, nec non Academ. Naturæ Curioſorum Collegæ
meritiſſimi,

Domini Patroni, Præceptoris,

*Hospitis & Promotoris ſui multis nominibus
devenerandi,*

PRO LICENTIA

Summos in Arte Salutari honores DOCTORALES
ſolemniter & legitime conſeqvendi
Publico Eruditorum Examine exponit

JOH. CHRISTOPHORUS MINNER,

Moeno-Francofurt.

In Auditorio Majori, horis ante & poſt meridiem conſvetis
Ad Diem April. Anno 1700.

Literis FINCELIANIS.

Inclytæac florentissimæReipublicæ
Francofurtanæ

PROCERIBUS PATRIBUSQVE,
PRAETORI illustri,
CONSULIBUS magnificis,
SCABINIS amplissimis,
SYNDICIS consultissimis,
SENATORIBUS prudentissimis,

*Dominis ac Mæcenatibꝫ Patronisque
quam humillime colendis,*

suæ erga ipsos observantiæ argumento,

hoc quidquid est,

sacrum esse cupit

tantorum Virorum perpetuus admirator,

J. CHRISTOPHORUS MINNER,
Auctor.



Nnumera ac excellentissima dotes sunt,
Patroni optimi maximiq, quibus natura
vos benignior inusitata ratione ornatos
voluit: sed vehementer fallor, aut inter
precipuas laudes hanc numerare oportet,
quod ut regenda civitatis prudentia prestatis maxime,
sic invitare mirifice ac omni benevolentia genere
complecti soletis, qui egregiis artibus & sapientissimis
disciplinis animum instruxerunt. Qua de causa non
adolescentes tantum homines, sed viri etiam celebri-
tate nominis ac eruditionis fama praeter ceteros con-
spicui, identidem ad vos, Mecenates, adeunt, atq; in-
genii sui monumenta dedicare vobis amant. Mibi ve-
ro, confecto studiorum cursu, non diu deliberandum
fuit, cuinam hanc, quam vocant, inauguriem disser-
tationem inscriberem. Ingratus merito videri possum,
ne dicam impius, si occasionem temere praetermittam,
declarandi vobis in hac clarissima totius Saxoniae ur-
be, quae ego vos observantia ac veneratione prosequar.
In situm naturam mortalibus, amare patriam: & quae
produxit nos tello, miris illecebris assidue trahit. Quid
erat Ithaca aliud, quam saxum asperum? & ei Ulys-
ses tamen beatos Alcinoi hortos posthabet, ac de patriae
tectis exilientem mavult videre fumum, quam vel de-
licatissimis

licatissimis deliciis ibi frui. Nemo mihi vitio, opinor, vertet, si non vitam ipsam & spiritum tantum, sed eorundem fructum quoque atque usuram dulcissima patriae deberi, pie ac religiose profitear: & ejus quidem patriae, quae nunquam non viris magnis & omni laude excellentibus aut incunabula praebuit, aut domum. Ac vellem equidem, ut absoluti quippiam offerre vobis, Patres Patriae, in praesenti possem: nam tantis nominibus nihil protritum convenire ac vulgare, probe intelligo; sed cum de facultatibus suis plerumque amplius sperent homines, quam in iis est, merito religioni mihi duco, perfectius aliquid in posterum promittere, quod prestare haud possim. Nam quamvis intentus anxiusque scrutar arculas meas, ac, quod representari liceat, solícite putem; nihil tamen reperio, quod & ingentibus meritis vestris & voto meo exacte respondeat. Interea tamen integrum mihi fuerit, spero, debitoris cujusdam instar vos adire, Domini, ac corrasam, quam videtis, summulam humiliter offerre, ac praeter haec exquisitissimis orare verbis, accipiatis interim, ac consulatis bene, quod est in manu: cum totum ac solidum numerare, praesentis copiae haud sit. Sed vobiscum loquentem brevitatis decet & reverentia: & jam satis liquere arbitrator, quibus de causis hasce vobis pagellas dedicandas censuerim. quas si eo vultu susceperitis, quo serena ac fausta omnia vestris civibus clientibusque promittere soletis, magnum studiorum laborumque fructum consecutus mihi videbor. Vivite, Patroni, glorie Supremi Numinis, immortalitati rei publicae, solatio civium. Scribebam Vitembergae d. Aprilis, MDCC.

I. C. M.
DISSERTATIO SOLENNIS
DE
PULMONUM VOMICA

PRAEFAMEN.

Quemadmodum plurima adhuc in fugientis hu-
mani corporis latebris obscura & occulta; ita cum-
primis Vomicae in visceribus, & maxime pulmo-
nibus uti causae, ita diagnoses & prognoses lubricae admodum
sunt & incertae, ut licet omnibus, vel exquisitissi-
mis modis in earum indagatione omnitemporaliter labora-
tum sit, nondum tamen res ita expedita est, quin plures ad-
huc difficultates, curam & praeservationem earum sollicitate
dispicienti, obveniant. Non solum *Galen. L. 1. de Locis aff.*
suo tempore conquestus est, quod malum hoc non raro sine
febre aut phlegmone, imo sine tussi aut sputo, tacite, ac vel-
ut ex improvviso, in pulmone generetur, nec prius se prodatur,
quam patientem interimat. Et *Fernel. L. 5. pathol. c. 10.* mul-
tos eorum observavit, qui omnia corporis munia rite exer-
centes, rupta de repente vomica, e medio sublata sunt; in quo-
rum numero etiam duo Medici reperiuntur, qui nullis signis
impendens periculum praevidere potuerunt: Sed easdem adhuc
querelas audimus: Nam *Bonet. Thesaur. Medic. Praet. de affect.*
Pectoris undenam, inquit, materies ista ab initio proveniat,
& cuiusmodi indolis, antequam maturetur, fuerit, determi-
nare non licet, quia morbi huius semina secreto jacta, &
clanculum adulta, originem prorsus occultam ducunt: Qua-
propter, causae ejus procatarticae sive remotiores latent,
quin

DE PULMONUM

quin imo, dum incipit & accrescit, neque prognosis institui potest, ante quam ictu ferali se prodit; sic tota ejus res in insidiis est: Et curiosissimus *Kerckringius*, postquam quatuor annorum puellæ neque dispnoea, neque tussicula ulla, neque phtiseos specie laborantis, imo toto corporis habitu bene constitutæ & pingvis, tantum febre continua extinctæ, viscera post mortem inspexerat, *observ: Anatom. LXXII.* exclamat: Quid vis Riolane, quid Tu Massa? ecquid hæc puella poterit tantas inter vos cernere lites. Ego addo plurimos me secuisse, qui pulmones altera parte habebant exulceratos; raros qui utroque, qui tussi, aut dispnoea laborant, non adeo multos. Quæ procul dubio etiã ratio est, quare a Medicis, licet integra Medicinæ systemata & Praxes scripserint, rarissima & parcissima vomicarum mentio, multo minus cura fiat: imo frustraneum omnino in descriptione earum occupari censet *Gerh. Blasius Therap. spec. p. 313.* quia eas dignoscere, adeoque curare Medico prorsus impossibile sit. Aliter vero edoctus nihilo secius in pulmonum imprimis vomicæ cognitione & curatione vires periclitari, eamque in rem breves & succinctas theses eruditorum censuræ exhibere constitui, quod ut feliciter, & in langventium solatium fiat, Arbiter & Conservator vitæ humanæ clementissime jubeat.

THES. I.

Abcessus & ulcera uti in omnibus fere corporis humani partibus, ita in pulmonibus maxime generari, novum non est, sed in iisdem tamdiu, etiam absque omni mali suspicionem, agrorumque querela ad mortem subitanam usque latitare posse, id sane attentionem mereri, omnemq; Medici curam & circumspeditionem requirere, imo postulare judio. Talis autem est Vomica, a collectione & evomitione
puris

VOMICA.

puris virulenti forte dicta. Abscessus nimirum, vel uleus in pulmonis quadam parte collectum & membrana propria, tanquam cystide, circum circa arcte inclusum, ut reliquas vicinas partes præcipue in principio vix afficere, indeque nulla gravia symptomata tum inducere nullamque sui suspicionem reddere queat.

Thes. II.

Ab aliis quidem sub tumoris formali concipitur & describitur, sed termino generaliori, minusque adæquato; duplex etenim tumoris genus, etiam in pulmonibus, jam tum ab Hippocrate nostro L. i. de Morbis constitutum, quorum unum crudum & durum nunquam ad suppurationem tendit, licet sensim increseat, spiritus vias præcludat, & tandem ægrum interimat, idque propterea potius ad scirrhorum classem pertinet: Vomica autem vera & perfecta semper materiam purulentam vel virulentam habet, eamque capsula, vel folliculo membranæo & tumido inclusam; Qua ratione etiam a phthisi, empyemate, aliisque pulmonum corruptionibus facile discernitur: In phthisi enim pulmonari ulcus nullis amplius limitibus continetur, sed longius serpit, modo sanguini se miscet, & febrim hecticam aliaque mala inducit; modo in bronchias cum larga rejectione per tussim, aut plane in cavitatem thoracis erumpit, & empyemadenum formale constituit.

Thes. III.

Atque ejusmodi abscessus non solum in pulmonibus, sed in pluribus aliis locis deprehendimus: Ita interdum sub cranio in loco decliviori & juxta os petrosum, inter meningem duram & cranium, vel inter ipsas meninges, imo intra cerebrum ejusmodi folliculi pure pleni, & una semper sede stabiles reperti, de quibus si placet, legi potest *Arnoldi Boetius*
de

DE PULMONUM

de Affectibus omisſis Cap. 1. Pariter puero duriffimum hepatis parenchyma, vel mille abſceſſibus minutis refertum vidit *Ol. Borrichius*, uti refert in *Actis Haſſniens. A. 71. & 72.* In alio ſexagenario hepar concluſum in ſe habebat foedisſimum abſceſſum, pure viridi teterrimiſque odoris refertum, apud *Ot. Heurn. obſ. 22.* Quemadmodum in famula iſta apud *Foreſt. L. XIX. obſ. XI.* Hepar extrinſecus prorfus illaefum, in alterutro tamen lobo ſupra ſtomachum retracto vomica purulentã cum putore intolerabili exhibuit. De lienis vero Vomica exempla inſigniora habent *Stalpart Vander Wiel obſerv. Rarior. XLVIII. Job Mekeranus p. 461. Renum Coiter. obſ. Anatom. chirurg.* In teſtibus ſeu ovariis Mulierum *Domin. Panarol. Obſ. Medicinal. Pentecost I. obſ. XIV. & alii.*

Theſ. IV.

Imprimis tamen pulmonibus tales abſceſſus familiares deprehenduntur, partim ob laxiorem & veficularem plane texturam, qua humores tranſeuntes quoscunqve facillime colligunt & retinent, partim quoque ob mirabiles vaſorum plexus, & perpetuum inſuper aeris frigidioris in reſpirationibus acceſſum immediatum, ex quo ſanguis, aut tantum ſerum in iſtis vaſculorum plexibus & anfractibus facillime coagulari, & in circuitu ſuo impeditur, donec ſtagnando ſenſim acriores facti, ſucci iſti vicinas veficulas extendunt, erodunt & ejusmodi abſceſſus modo majores, modo minores, plures vel pauciores gignunt, quales referuntur a *Schenk. L. II. obſerv. Foreſt. L. XV. obſ. LI. Fernel. L. V. Patbol. C. X. Ballon. L. II. Conſil. Medicinal. VI. Thom. Willis. Pharm. Rat. P. II. ſ. 1. C. II. Bartholin. C. II. Hiſtor. LIX. Hagendorn C. 1. obſ. XCV. Tulp. L. II. obſ. X. Bonet. Med. ſeptent. P. 1. ſ. XI. & in ſepulchreto.*

Theſ. V.

Ex quibus omnibus jam liquet, abſceſſus tales reconditos & occluſos tantum fieri, quando ſucci corporis noſtri
vita-

VOMICA.

vitales, sangvis ejusdemque serum in motu & circulo suo per vascula minima, sæpius capillaria, & miris modis inter se contexta & complicata impediti, nihilo secius tamen vi im- pulsus, a tergo sequentis transitum urgentes, vascula ista, eorundemque inprimis oscula distendunt, indeque partem qvandam sui in porulos & vesiculas aptas seponunt. Hæc autem pars segregata, & extra vitalem circulum posita, etiam si quam maxime temperata & nutritia, ex heterogeneis tamen partibus salinis & sulphureis, acidis & alcalinis, volatilibus & fixis, gelatinosis aliisque prædita, necessario, transeuntibus primum partibus subtilioribus, spissescit, & partes heterogeneæ, a calore partium vicinarum excitatæ, more omnium liquorum heterogeneorum, inter se agunt, se invicem atterunt, agitant, ab invicem secedunt, ex quo deinde citius, sive tardius, pro circumstantiarum causarumque adjuvantium diversitate, productum ejusmodi purulentum & foetidum emergit.

Thef. VI.

Materia enim quæ in Vomiticis reperitur, semper est purulenta, licet non semper pure talis, sed interdum plus minus serosa, gelatinosa, sangvinolenta, æruginosa, viride- scens aut flavescens, prout succi egressi comparati, & ma- gis vel minus digesti fuerint. Pus & purulenti liquores albicantes unice quidem generantur e partibus sanguinis serosis, gelatinosis & chilosis; minime vero rubicundis & sangvinolentis, uti videmus in quibuscunque ulceribus, etiam internis & pulmonaribus phtisicorum, quæ quotidie magnam copiam puris lactei fundunt, absque vasorum sanguineorum apertura, sanguinisque imminutione; nihil tamen impedit, quia tales etiam erosæ vasis istis sangviferis
B permi-

DE PULMONUM

permisceantur; ex quo etiam fit, quod rejecta ulcerum non semper lactea vel cinerea, sed sæpius lutea, rubicunda & æruginosa appareant.

Thef. VII.

Egresui vero & collectioni succorum istorum in pulmonibus nimis multæ causæ occasionem præbent, & fores aperiunt, eæque tam internæ, quam externæ, quæcunque modo circulum istorum impedire, aut vasorum vesicularumque ruptionem efficere sufficiunt. Ex internis inprimis accusari hic debet cacochymia sanguinis scorbutica, acido-acris, vel salsa & viscida, ex quo facile sordes ejusmodi acres intra membranaceas pulmonum vesiculas cohærere, earundemque fibrillas tenerrimas dilacerare possunt: unde scorbuticis potissimum pulmonum æque ac aliarum partium erosiones, easque fistulosas, sæpius maxime familiares esse, experientia quotidie loquitur. Neque novum est, in scorbuticis ejusmodi, ex ulceribus extrinsecis pedum aliarumque partium oclusis, serum istud acre in viscera, & præcipue pulmonum vesiculas decumbere, ibidemque ulcera creare. Acredo vero, istius seri quanta sit, vel ex illa *Panaroli observ. XL. Pentecost.* apparet, ubi rejectum pus ex confirmato ulcere pulmonum adeo virulentum & malignum fuit, ut muscas illud gustantes instar arsenici interemerit. Et *Christoph. Benedict. Tabidor. Theatr. pag. 79.* multos fere marcore confectos se vidisse ait, quorum sanguinis universi systema sale scaturiit, quiqve fluxione periodica mitiori sputum muria conditum per biennium aut triennium effudere, per extremos arteriæ pulmonicæ furculos: Et inter eos Londinensem Mercatorem in sceletum propemodum mutatum, cui liquor salinus tandem
a pul-

VOMICA.

a pulmone refluus, tam efferus, ut chirones volis manuum turpissimos, & ulcera exedentia pedibus inusserit.

Thef. VIII.

Huc ergo etiam pertinent catarrhi falso-acres, vel seri ejusmodi acris in pulmones decubitus solennes, quos quidem olim fictitiis a cerebro deplutionibus male tribuerunt: Salaria scorbutica a naturali sanguinis textura & combinatione deflexa, ac in fluorem eversa in pulmonibus & partibus vicinis glandulosis æque, & longe facilius secedere, earumque fibrillas tenerrimas erodere, imo tusses solennes & spasmodicas inducendo, vasorum rupturas efficere queunt. Cujusmodi notabile exemplum refert *Forest. l.c. de Regis Hispaniæ & Angliæ Oeconomo Abbenbrouck dicto*, & diuturnis catarrhis cum tussi ferina afflicto, in cujus pulmonibus insignem vomicam post mortem invenit.

Thef. IX.

Neque tacendæ hic sunt evacuaciones sanguinis aliorumque humorum alias solennes & suppressæ, quandoquidem recrementa & scoriæ impuræ sanguinis, his mediantebus evacuari solitæ, sæpius in viscera laxa & apta decumbunt, secedunt & tota die eorum obstructions, inflammationes, exulcerationes, consequenter etiam vomicas producant: Ita a sudore & transpiratione inhibita ortam in Medico Vomica pulmonarem retulit *Schmid. ad Ephemerid. German. A. VIII.* Eandem a pleuritide relictam refert *Heurn. l.c.* quemadmodum etiam vomica hepatis ab inflammatione ejus male curata orta fuit ap. *Panarol. l.c.* & plures in eodem a sacculis calidis, vel potius ferventibus pro

DE PULMONUM

fomentatione ejus inepte adhibitis meminit *Bonet. in sepulchreto.*

Thef. X.

His omnibus tanquam causis proximioribus internis accedunt deinceps plures aliae procatarticae: Nimia pulmonum agitationes, inflationes & contractiones subitaneae inter clamores, tusses, exercitia corporis violenta; inspirationes pariter aeris non solum frigidi, nebulosi, sed maligno interdum miasmate inquinati. Non minus conformationes & cohaesiones pulmonum praeter naturales, scirrhii, calculi, inflammationes, pleuritides, contusiones, lapsus & innumera alia, quaecumque vasorum vesicularumque ruptioni, aut solum extensioni occasionem dare queunt. Exemplum ejusmodi vomicae instar ovi columbini ex nimio motu rursus habet *Forestus l. c.*

Thef. XI.

Hisque praecognitis eo clarius jam patet, quam cognitu difficile malum hoc sit, ut, uti in limine jam meminimus, aegri saepius se periisse prius, quam morbo hoc laborasse experiantur: Latet enim inter initia in vesiculis interioribus pulmonum, qui licet nervis suis, indeque sensibilitate non destituantur, propter defectum tamen expansionis & connexionis firmae cum aliis partibus solidis, facilius cedunt injuriis, nec a rebus pungentibus, aut erodentibus tam exquisite dolere queunt, uti e phthisicorum, imo pulmonibus vulneratorum, exemplis abunde constat: Colligendum igitur id solum est ex antecedentibus causis antea memoratis, quibus si dolor aliquis gravativus & fixus, tussis sicca,

VOMICA.

sis sicca, difficilis respiratio, aut etiam subitaneum sputum purulentum, absque tamen febre hectica, atrophica aliisque phthiseos signis accedit, de Vomica nullum amplius dubium est.

Thef. XII.

Tamdiu vero ulcera ejusmodi Vomicae titulo tantum veniunt, quamdiu propriis adhuc terminis & membranis, vel capsulis continentur, nec corruptionem suam aliis visceribus, aut succis praterentibus communicant; quamprimum vero adjacentibus partibus successive erosam sanguineam afficiunt & inficiunt, aut etiam pulmones extrorsum perforant, potius in phthisin, empyema, aliaque mala abeunt. Alias vomicae ipsae in se quoque multis modis differunt; & quidem ratione causarum & complicationum cum aliis morbis, quandoquidem alias a causis magis intrinsicis, iisque rursus admodum variis, alias vero ab externis oriri, & praeterea modo cachexiis, scirrhis, phthisi, aliisque multipliciter sociari vidimus: pariter quoque ratione subjecti specialis, qua alia dextrum, vel sinistrum pulmonum latus, nec non partes interiores, vel superficiales magis occupant; eaque plures vel pauciores, majores vel minores.

Thef. XIII.

Atque ex his demum omni circumspectione consideratis, & inter se diligenter collatis Medicus tantum prognosin suam formare potest. Quamvis enim malum mendacium oculos prorsus fugiat, nec uti diximus aegri conqverantur, ideoque etiam cura ab iisdem, nihil mali metu-

B,

entibus

DE PULMONUM

entibus negligatur, donec tandem latius serpendo febris, tusi, anhelitu, phtisi, aliisque symptomatis se prodit. Nihilominus tamen vomicae in parte superiori pulmonum & bronchiis vicinae tutiores sunt, quam profundae, in extremis scilicet loborum haerentes; illaeque minores, quam majores, pauciores quam multiplices: tales enim facilius aperiuntur, & ulceri erumpenti superiora versus exitus conceditur: cujusmodi felices eventus videre licet in *Ephem. Germ. Decur. I. A. IX. & X. Item Decur. II, A. VI. vel Bonet. in Medic. septentr. Barbett. Pr. L. II. Cap. III.* Sic Vomicae sinistri lateris in viro Nobili a lapsu ante aliquot annos ortam, & non sine metu suffocationis ruptam, Excell. Dn. D. Praeses curavit feliciter, ut nihil mali aeger amplius sentiat. Sed observandum quod ulcera ista, licet semel rupta & mundata propter vasorum erosionem, pulmonumque continuas motiones, difficillime consolidentur aut consolidata denuo facile, ob circulum tum difficiliorem humorum rumpantur, & aegri recidivam patientur. Alias vero grandiores & profundiores ob denegatum exitum tandem longe lateque serpunt & erumpendo demum aegrum subito suffocant, aut pulmones penitus consumunt & in phtisin incurabilem & empyema terminantur: qualia exempla videantur ap. *Bonet. in Sepulchr. Barthol. in Historiis Rar. L. II. Tulpium L. I. obs. Forestum l. c.*

Thef. XIV.

Quodsi igitur tantum periculi Vomicae habent, omnibus sane modis ubicunque, vel minima suspicio monet, cavendum, ne vascula & glandulae pulmonum obstruantur, aut obstructae cito aperiuntur, humores ibidem restitantes,
ante-

VOMICA.

antequam in corruptionem vel pus abeunt, resolvantur. Vomicae vero jam factae cito aperiantur, materia purulenta evacuetur, abstergatur, ulcus consolidetur & ulterior corruptio inhibeatur, remediis quibuscunque e Chirurgia, Pharmacia, & Dieta paratis.

Thef. XV.

Quoniam vero non solum remedia, licet optima & selectissima in promptu habere, sed quando, cui & quomodo haec vel illa, ob circumstantiarum infinitam fere varietatem & mutationes inexplicabiles, in quas individua morbosa, eodem licet morbo afflicta, incurrunt, scire convenit, ideoque quae cuivis vomicae metuenti, aut eadem jam tum laboranti, pro indicantium suasu, conveniant, ex ordine videbimus: Scire quid fieri oporteat, magna res non est, aut quibus rationibus id efficias, id vero scire artificium est, ait *Galenus L. 6. Method. Medendi. Cap. 2.*

Thef. XVI.

Ita in Vomicae pulmonaris curatione praeter ceteris quidem valent omnia medicamenta incidentia, resolventia & detergentia, bechica seu pnevmonica communiter dicta, quae humores crassos, viscidos & lentos in anfractibus vasorum aut vesiculis haerentes, quiescentes & infarctos attenuant, & in motum rursus cient, ut cum reliquis in circulum redire, aut si minus, per tussum tamen & sreatum rejici queant: id quod egregie praestant omnia acria, sale volatili oleoso blandiori foeta, item amara, dulcia, humectantia, imo acida & acido-dulcia, minus quidem vitriolica, sed magis salina: qualia sunt Radices Ari, Angelicae, Aristolochiae rotundae, Altheae,

DE PULMONUM

Altheæ, Helenii, Ireos florentinæ, Glyzyrrkizæ, Polypodii querni, Scyllæ, Tusfilaginis, Raparum: Semina Anisi, Fœniculi, Nasturtii, Sinapeos, Caricæ, Iujubæ; Herbae & Flores Hyssopi, Marrhubii, Erysimi, Capilli Ven, Farfaræ, Rorellæ, Nicotianæ, Veronicæ, Croci, Benzoe, Gummi Ammoniacum, Myrrha, Sulphur commune, Sal ammoniacum; & ex his præparata varia Infusa, Decocta, Elixiria, Essentia, Extracta aliaque cujusvis Ægri temperaturæ, ætati, appetitui aliisque circumstantiis accommodata: e. gr. Elix. Pectoralis D. Præsid., Balsam. Sulphuris therebinth., anisatum, Spiritus salis ammoniaci anisat., Asthmat. Michael. Inprimis Decocta e Nicotiana, Hyssopo, Marrhubio, Salvia, Iride, Polypodio, Glyzyrrhiza, & similibus cum Aqua Calcis vivæ parata hic insignis efficaciam esse novi. Imo sola Radix Helenii s. vel condita cum Aqua scabiosæ, vel simili decocta & convenienti sirupo de Erysimo vel Nicotianæ paucoq; Spiritu sulphuris condita egregiam constituit potiunculam expectorantem. In expectorando Empyemate & pure pectoris sive ex pleuritide, sive vomica, sive vulnere pulmonum, inquit, *Celeb. Etmuller. Comment. in Schröder. p. m. 68.* experientissima est Nicotiana & ex eo paratus Sirupus, de quo legi meretur *Epiphan. Ferdinandus Histor. 32. & 45.* ubi decocto Nicotianæ a præsentissima morte aliquem se liberasse meminit, indeque eandem satis commendare nequit: sic R. Decoct. vel Aquæ Nicotian. ℥ss. Sirupi ejusdem, Oxymellis Scyllit. ā. ʒj. Spiritus sulphur. ℥j. M. R. Sirupi de Nicotian. vel Hederæ Terrestr. l. Sulphurati, Oxymellis scyllitici. ā. ʒj. Balsami sulphuris anis. ʒj. M. R. Therebinth. Venet. ʒj. vel ii. solvantur cum vitello ovi & saccharo, & detur cum jusculo, vel ovo sorbili tanquam evaporiston cito rumpens & abstergens.

VOMICA

gens. Petr. Joh. Faber universalis sapient L. 3. Cap. 3. mirifice hic laudat oleum suum Antimoniale rubrum, idem vero præstat Balsamum sulphuris comm. vel Antimonii rite paratum.

Thes. XVII.

Quod si vero hæc & similia ad aperiendum, resolvendum-que ulcus nondum sufficiunt, neque ad puris exitum viæ patent, indeque sanguini se miscet, ipsumque aut corrumpit, aut a circuitu præpedit; vel in ductus tracheales confertim irruens simul plurimos eorum implet, infarcit, adeoque præsentaneum sæpe suffocationis periculum infert; tum omnino quoque vomitoria in subsidium trahere convenit; siquidem vomitionis conatibus in ventriculo & gula excitatis, etiam vicinæ eorum partes, imprimis quoque thorax & pulmones irritantur, agitantur, & hac ratione materia ibidem tenacius hærens efficaciter exprimitur: Modo tamen respectus virium aliarumque circumstantiarum habeatur; & imprimis ne metus rupturæ vasorum, gravioris, aut hæmoptisis adsit, cautelæ prudenter observentur; In quo ipso *Hartmann. Sylvium, Ettmullerum & alios consentientes habeo.* Eidemque scopo priora præparata ex Nicotiana, Scylla marina, in majori dosi data, aut Tartaro, Sirupo vel Oxy-saccharo emetico acuata sufficiunt,

Thes. XVIII.

Jam ulcere rupto & per expectorantia ista satis mundato, ea quoque addenda sunt, quæ sinum erosum exsiccant & consolidant. Difficilius alias pulmonum, quam aliarum fere omnium partium ulcera sanari in aprico est, non solum quod medicamenta per multos demum anfractus & mutationes, minus integris viribus eo perveniant, sed pulmones quoque ob substantiam minus carnosam, & motum perpetuum, imò aeris continuum & immediatum ingressum, consolidationem haut facile

C

ad-



DE PULMONUM

admittant, eoq; generosioribus vulnerariis exsiccantibus & balsamicis hic opus est, iisque in largiori dosi & continua serie exhibitis, ita ut, universam sanguinis massam simul disponant, nec aliis partibus & visceribus noceant. Quibus scopis præter antea laudata abstergentia & expectorantia inserviunt: Radices Tormentillæ, Symphyti maj. Consolid., Saracenicæ cum toto, Chinæ, Rhabarbari; Ligna Santalorum, Sassafras, Guajaci: Herba Alchymillæ, Hederæ terrestr., Sanniculæ, Plantaginis, Millefolii, Pulmonariæ, Pilosellæ, Vincæ per vincæ, Centaurii minoris, Salviæ; Flores Rosarum, Hyperici, Croci. Ex quibus rursus pro indicantium & ægri lubitu Infusa, Decocta, Essentiæ, Pulveres aliaque ex methodo præscribendi formulas facili negotio parari possunt. Hederam terrestrem omnibus aliis speciebus simplicium præfert *Ellmullerus de Empyem.* quæ suppuratos ex fundamento, uti loquitur, curat. Hinc ejus Decoctum & Succum cum Antimonio diaphoretico, Thure, & Myrrha exhibitum in hoc casu inæstimabile remedium vocat, idque jam tum olim fuit observatum Cratoni ap. *Scholziium & Welschium* in pluribus successit, ceu ipsemet testatur *Decad. 3. Curat. 9. Poterius* vero in *Pharmacop. Spagyr.* æque laudat Bagulæ seu Consolidæ mediæ Decoctum ad quæcunqve pulmonum ulcera perfecte curanda. Habemus vero adhuc plura alia generosa consolidantia in promptu: Essentiam Trumaticam D. Michael., Hagedornii vel *Dn. D. Præsidis*, Hyperici Balsamicæ, Catechu, Tinctur. Antiphtysica Gramanni, Balsamum, Sirupum & Flores sulphuris rite parata, Balsam. Peruvian., de Copaiba, vulnerarium D. Præsid. cum saccharo saturn. Locatelli, Pilulas sulphuratas Ejusdem, de styrace Sylvii, Antiphtysicas Riverii, Pulveres & Trageas ex Radice Ireos florentinæ, floribus sulphuris, Succino, Gummi Arabico, Tragacanth., Refina Mastichis. Lapid. Cancrorum, Antimonio-diaphoretico, Antihectico Poterii, Bolo Armena, Terra

VOMICA

Terra sigillata & similibus, quibus profecto humorum acrimonia simul egregie infringitur, afflixus cohibetur, & ulceris consolidatio, si quæ unquam possibilis, optime promovetur. *Franciscus Joel. oper. Medic. 3. L. 3.* ad pulmonis exulcerati exsiccationem nihil præstantius esse judicat, quam si quis quotidie ʒj. florum sulphuris in haustu lactis Caprini assumat; aut pulveris magis compositi ex iisdem floribus cum Bolo armena, Ebore usto, & semine papaveris: Phlegma vero Vitrioli sulphureum ab omni acido corrosivo liberatum, fuit evporiston Helmontii Junioris singulare ad corruptiones viscerum internas curandas, uti refert *Marcus Marc. Philos. Veterum Restituta*. Mire quoque in hunc finem commendatur pulvis de fungo salicis Ruffæ ad ʒii cum ā sacchari candi quotidie mane & vesperi sumptus in *Miscell. Curios. D. 2. A. 1.* & Electurarium Wincleri, *Ibid. D. 1. A. VI.*

Thes. XIX.

Ad eundem scopum & finem etiam à Practicis commendantur suffumigia e Thure, Mastiche, Myrrha, Succino, Benzoe: Neque sunt de nihilo quoniam hac ratione effluvia balsamica, exsiccantia & consolidantia immediate cum aere intra locum affectum recipiuntur & applicantur. De quibus eorundemque instrumentis variis legi potest *Benedictus in Theatr. Tabidorum*. Sed miror quare a *Willisio Pharm. Rat. P. II. Capite de Vomica & Boneto in Thesaur. Practico L. III. de Vomic.* aliisque his suffitibus etiam addatur Auripigmentum, recrementum illud metallicum e vaporibus sulphureis metallorum intermixtis spiritibus acerrimis volatilibus concretum: Quod per se externe & interne septimum est, indeque psilotra ingreditur; multo magis, si ab igne resolvitur, particulas suas acerrimas non solum pulmonibus, sed partibus quibuscunque nervosis insinuabit, ibidemque rosiones & punctiones potius, quam consolidationem juvabit: Novi quidem, quod in ulceribus sordidis canerosis & fistulosis interdum



DE PULMONUM

abstergendo proffit, id tamen extrinsece, & partibus solum callo-
sis l. sordidis caute applicatum: Potius præter resinosa & sulphu-
rea priora cum *Ellmull. ro Comment. in Schroeder.* commendarem
fumum ex foliis Tusfilaginis exsiccatis, cum succino & sem. anis.
permistis, loco Tabici per fistulam hauriendum.

Thes. XX.

Sed tamen interdum contingit, quod neque his omnibus
abscessus ejusmodi, pulmonibus intimius occlusi, aperiri, multo
minus abstergi & consolidari queant, quin potius propter cohæ-
sionem pulmonum morbosam cum costis vicinis ibidem aut in-
tra cavitatem thoracis exitum affectat, quo casu certe sola a-
pertio vel sectio thoracis, eaque viribus adhuc integris, neque
pulmonibus aliisque visceribus nimia putredine jam corruptis,
reliqua est; qua ratione etiam duos ægros affectu isto laborantes,
& post ruptam, pulmonibus vomitum pus merum & foetidum co-
piose exspuentes, brevi a se felicissime curatos, cum omnibus cir-
cumstantiis refert *Willisus l. c.* Sic Vomica diu in pectore a
quodam gestata, & casu sanata, exemplum memorabile affert,
Barthol. Hist. Anatom. C. VI. obs. XIV. qui diu ex ea quamvis igno-
ta, spirandi difficultate & atrophiam jam maxima afflicto, forte in
duello vulneratus fuit gladio, prope sternum inter costas pene-
trante: Quo vulnere simul vomica latens feliciter aperta, tho-
racis quidem cavitatem pure replevit, ita ut vix spiritum læso
concederet; sed aperto, sicut in Empyematicis, latere inter co-
stas consuetas magna copia vacuato pure, sensim ad se rediit, con-
valuit, & habituosior factus; quemadmodum etiam apud *Plini-*
um Phaleræus quidam Vomica morbo a Medicis deploratus, cum
mortem in acie oppeteret, vulnerato pectore, medicinam ean-
dem invenit: Sed plura alia exempla, ubi ejusmodi thoracis pa-
racenthesi de industria, & ex necessitate instituta, feliciter ces-
sit,

VOMICA

cessit, habent *Marchett. observ. Chirurg. XL. Ephemerid. Germ. Dec. III. A. 1. Bartholin. Cent. III. Epistol. LXXXV.*

Thes. XXI.

Facta igitur decenti ea apertione opus adhuc est, ut præter vulneraria interna antea commendata, ulcus etiam externis injectionibus mundetur, & ad consolidationem constantem redigatur: Cui scopo satisficient Decocta & Linimenta e Radicibus Consolidæ, Tormentillæ, Liqviritiæ, Angelicæ; Herbis & Floribus Hyssopi, Hederæ terrestris, Marrubii, Hyperici, Rosarum, Mastiche, Myrrha. Aloe, Croco, Melle & sirupo Rosarum similibusque facta, & per aperturam tepide immissa; aut, quod melius, per syringam infusa, ut ulcus internum eo melius attingant, & quoque colluviem corruptam e cavitate thoracis commodius eluant.

Thes. XXII.

Novi quidem, quod natura ipsa subinde per varia loca inimitabili arte purulentias evacuaverit, quando Pleuriticis, imo Empyicis fanies foetidissima modo per urinam, modi scabiem secessit, de quibus exempla annotarunt *Hildanus Cent. III. Histor. XXXIX. Panazol. l. c. Horst. L. III. obs. X. Borellus Cent. I. Obs. XVII. Ettmuller. l. c. M. A. N. C. A. II. III. & VI.* Verum tales evacuationes rarissime, & ulcere non nisi in viscere adhuc contento, osculisque vasorum adhuc vicino sperare licet, ita ut fanies denuo per venas in circulum communem redire queat: Quod si naturam moliri observaverit Medicus, omnino minister ejus semper paratus & instructus sit, ut eandem, quocunque etiam vergere videatur, dirigat, promoveat, aut pro necessitate corrigat.

Thes. XXIII.

DE PULMONUM

Thes. XXIII.

Atque hæc omnia dum perguntur, altero quoque oculo symptomata alia concurrentia aut complicata Medicus respiciat, necesse est, ita, ut catarrhos versus locum affectum decumbentes, febrim, hæmoptysin, phthisin, tabem, suffocationem aliqua mala, quanta fieri potest diligentia, præcaveat, aut ad minimum mitiget, remediis cuius debitis, & morbo primario simul accommodatis; inprimis omnia humorum acrimoniam temperantia hic officium facient, sive id absorbendo, involvendo, aut diluendo præstent, utpote quibus simul humorum affluxus inhibetur, motus peregrini & febriles in iis impediuntur, ulterior erosio, hæmoptysis, phthisis aliaque removentur. Eoque nomine præ cæteris hic laudem merentur lapides cancrorum, Ebur sine igne, succinum præparat., Flores Sulphuris, Antimon. diaphoret, Antihecticum Poter., Sperma Ceti, Gummi Tragac. Arabic., Species Diatragac. Diaireos, & antea commendata Decocta e Radice Chinæ cum liqviritia, passulis & floribus papaveris, Pilulæ de styrace &c.

Thes. XXIV.

His ipsis etiam ægri a recidiva præservari possunt & debent modo pro necessitate Laxantia, Sudorifera, Diuretica, Venæ sectio aliaque interponantur: Cum purgantibus quidem caute mercandum, quoniam humores magis commovent, turbant, & nutritium quoque serum absumunt; nihil tamen impedit, quo minus lenia abstergentia ad purificandas primas vias & avertendos majores affluxus per intervalla interponi queant: Hinc P. J. Fabr. l. c. signis Vomicae apparentibus sic succurrendum inquit: Purgandum inprimis est corpus nostra purgatione Antimoniali; nec existimo tutiori & meliori medicamento posse uti adversus crudelem, & tantum hostem, quam solo hoc medicamento; quo ter, aut quater est utendum per tres, aut quatuor dies; summo mane, jejuno ventriculo dan-

VOMICA.

danda sunt grana VI. aut VIII. antimonii nostri præparati: Purgato deinde corpore utendum est, pergat, oleo vitrioli vel sulphuris cum paucis Spiritu therebinthinæ ad guttas X. vel XII. uniuscujusque, cum sirupo violarum permixtis & propinatis: Sic curatur Vomica, vel enim evanescit, vel rumpitur sine læsione, quia malignitas majori ex parte purgatione nostra fuit evacuata.

Thes. XXV.

Pari ratione sudorifera in tempore adhibita ad resolvendos, corrigendosque humores, insigniter facient, quod probe perspiciens *Lotich. observationum suarum, p. m. 23.* ait: Ad materiam pulmonum jam impactam, digerendam, attenuandam, & per sudores successively evacuandam, nihil utilius facile excogitari poterit *Decocto Ligni Guajaci*; quo tanquam hujus affectus Bezoardico alii insignes Medici tam olim, quam hodie, imo ipse ego singulari cum successu usi sumus: Item sentit *Brunnerus in Consiliis de phtisi.*

Thes. XXVI.

Sic porro quando Venæ sectio, Scarificatio, & fonticuli, vel vesicatoria ad præservationem ex usu esse poterunt, quilibet secundum indicantium & permittentium ductum facile judicare poterit. Nihil igitur nisi cautela *Diætetica* restant; quæ in eo consistunt, ut Aer eligatur serenus & purus, ad siccitatem & caliditatem magis dispositus: Vitetur vero impurus, nebulosus, frigidus, salinus, aliisque malignis qualitatibus imbutus. Pariter in Cibo & Potu vitanda erunt acida, acria, nimis aromatica fermentabilia, viscida & flatulenta, Motus, quies, somnus & reliqua omnia sint moderata. Ita nullum dubium est, quin hoc morbo afflictorum vita defendi & in plures annos protrahi per Dei gratiam possit, cui etiam pro concessis in hoc negotio viribus soli Gratias æternas decernimus.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several paragraphs and is mirrored across the page.



90 A 6421

f

ULB Halle 3
 002 927 306



Nr. 31 nur


TA -> OL


verknüpft

R

VD 17







I. N. 7.
DISSERTATIO SOLENNIS
DE

PULMONUM VOMICA,

quam
In celeberrima Leucorea & Consensu Gratiſſe Facultatis Medicæ

SUB PRÆSIDIO
VIRI

Nobilissimi, Amplissimi, Excellentissimi atque Experientissimi

DN. CHRISTIANI VATERI,

Philos. & Med. Doctoris, Pathol. Prof. Publ. Physici Provincialis, nec non Academ. Naturæ Curiosorum Collegæ meritisissimi,

Domini Patroni, Præceptoris,

Hospitis & Promotoris sui multis nominibus devenerandi,

PRO LICENTIA

Summos in Arte Salutari honores DOCTORALES
solenniter & legitime consequendi
Publico Eruditorum Examine exponit

JOH. CHRISTOPHORUS MINNER,

Mœno-Francofurt.

In Auditorio Majori, horis ante & post meridiem consuetis
Ad Diem April. Anno 1700.

Literis FINCELIANIS.

